

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

IN FESTO EPIPHANIAS CHRISTI.

Evangelium Matth. 2. v. 1.--12.

EXORDIUM.

CUm Israelitæ Aegypto educti, de Suchoth profecti, per solitudinem ad Palæstinam iter fecissent, Dominus præcessit illos per noctem, in columnâ ignis. Hæc columna ignis non modò eam ob causam illis apparuit, ut lumen illis præberet, & viam ostenderet: sed & Dominus mirabili hæc luce significare voluit, se solo ductore, illos Palæstinam occupare, ejusque hæreditatem consequi posse, Exod. 13. v. 20.

Sicut igitur tùm temporis populus Israeliticus ex idololatria Aegyptiaca ejusque tenebris luce miraculosa eductus est, in eum locum, ubi tabernaculum fœderis & habitaculum veri Dei construxerunt: Ita similiter Deus Opt. Max. primitias gentium miraculosa luce ad cunabula Christi deducere voluit, ut in eum, esse unicum opus divinæ gratiæ, quod Judæi & gentiles ad societatem Regni sui vocati sint: quodque Judæis non adeò revelationibus divinis Patribus suis factis, superbire conveniat, quia pari modo gentiles apparitione supernaturalis luminis ad Messiam vocati sint.

De hæc revelatione, gentilibus facta, agit prælecta Pericope, in quâ audimus, quâ ratione Magi ex Oriente, stella nova inloita ad cunas Christi adducti sint; quâ de causa & præsens festum, festum Epiphaniæ Christi appellatur.

Nos methodo nostræ inservientes, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

CUm Salomo, jussu Davidis patris sui, Rex inauguraretur, cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Vivat Rex Salomon! Et ascendit universa multitudo post eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & fidebatur terra à clamore eorum. Adonias autem qui seipsum Regem fecerat, ubi ipse, & omnes, qui cum eo erant, id audiebant, exhorrescebant valdè, maximè vero Adonias, quia metuebat, ne Salomo eum, ut seditiosum justa pœna afficeret, 1. Reg. 1. v. 35. seqq.

Quid accidit Hierosolymis? Ubi Magi ex Oriente, quos cœlestis Pater per novam stellam vocaverat, ut Filium suum, Jesulum recens natum Salvatorem mundi agnoscerent, ejusque nativitatem divulgarent, recens natum Regem Judæorum perquirunt: ecce! tumultus oritur per universam urbem, quilibet enim consternatus est, maximè verò Herodes cum aulicis suis, quia veretur, ne recens natus Rex,

cccc

Regno